

adjuto, quod amiserit, secus cum Coadjuto legitime impeditus non vult, quod resideat Coadjutor, qui sine ejus voluntate et consensu residere non potest, tunc enim lucrabitur Coadjutus, cum ipse sit legitime impeditus nec Coadjutor sit in culpa, ex quo non potest residere nisi de voluntate et consensu Coadjuti, et sic procedit praedicta resolutio, praestat tamen hic exscribere ea, quae post relatam hanc *Garziae* explicationem subjungit *Castropal.* tom. 2. disp. 1. punct. 10. n. 9. hisce verbis: „Verum haec distinctio mihi non probabitur, potius enim judicarem, mulctandum esse coadjutum impeditum nolentem, ut Coadjutor inserviat, quam volentem; quia nolens, ut inserviat, repugnat fini, ob quem est coadjutoria assignata, et ini- que procedit, ejusque voluntas habenda est pro non adjecta. At volens, ut inserviat, juri se conformat.“

Praeterea ad rem pariter conferre videtur regula cum Canonico Coadjutorem habente servari consueta, nimirum ut is, qui ob servitium ultra quadraginta annos continuo et laudabiliter praestitum jubilationis indultum prius obtinuit, si postea Coadjutorem sibi dari impetret, obtento jubilationis indulto amplius non juvetur, sed punctaturis obnoxius maneat, quotiescunque nec ipse nec ejus Coadjutor inserviat, uti dudum firmavit Rota dec. 790. num. 14. coram Penia, et saepius respondit S. haec Congregatio, quae novissime posthabita prorsus ratione in contrarium adducta, quod coadjutoriae privilegium videretur in odium et damnum Canonici coadjuti retorqueri, discusso formiter in *Calaguritana* „jubilationis“ inter caetera dubio: *An Josepho de Miranda ad obtinendam jubilationem obstet, quod jam habet Coadjutorem cum futura successione?* die 2. Maii 1733 rescripsit: Affirmative.

Causa, ob quam Franciscus Sierra Coadjutor nequit in civitate Ovetensi residere nullumque propterea ejus Cathedrali Ecclesiae servitium exhibere, latius indicata fuit in folio distributo sub diem 16. Maii superioris anni. Eo itaque resumpto perpensisque omnibus mox adnotatis grave non erit EE. PP. pronuciare:

An sit standum vel recedendum a decisio diei 6. Junii 1739 quoad III. dubium in casu?

S. C. C. resp.: In decisio et amplius. Die 16. et 30. Jan. 1740.

Moguntina.

Bernardus Broremdorffer praeter Canonicatum annui redditus scutorum 48, quem in Collegiata Ecclesia Morstadi jamdudum obtinet, alteram ex sex canonicalibus Praebendis Collegiatae Ecclesiae s. Leonardi civitatis Francofurti sub annum 1732 est assecutus; sed quia, praestito vix juramento *super vera, reali et non ficta residentia juxta tenorem statutorum Capituli*, ab eadem civitate Francofurti discessit rediitque ad aulam Comitissae Palatinae Hassiae Rheinfels, ut ibi Capellani et Consilarii Aulici munere pridem suscepto fungeretur suamque impenderet operam in administranda allodiali haereditate defuncti Comitis Willelmi Landegravii Hassiae Rheinfels Viri dicti Comitissae, necnon in solvendo aere alieno, quod idem Comes Willelmus pro excitanda promovendaque catholica religione ac recuperanda quadam arce e manibus Aatholicorum contraxerat, Capitulum dictae Collegiatae s. Leonardi, detentis interim fructibus ejus Canonicatus, coepit illum urgere, ut ad residentiam reverteretur. At ipso ad archiepiscopalem Curiam Moguntinam reclamante Vicarius generalis sub die 10. Septbr. 1733 decrevit: „Canonicum Broremdorffer ob notorie deficientem con-

gruam ad personalem residentiam non teneri, sed solummodo ad frequentandum Capitula generalia, caeteras vero obligationes ac onera praebendae annexa deservire posse ac debere per idoneum Substitutum.“

Hoc autem decretum impugnans Capitulum usque ab anno 1735 S. hanc Congregationem adivit, cumque super expositis in ejus precibus, quidquid ad rem faceret, auditis partibus, referre jussus fuerit Vicarius generalis, qui decretum illud ediderat, ob istius decessum postea secutum oportuit novas in eundem finem literas dare moderno Officiali in ejus locum suffecto, a quo tandem acceptum est, portionem annuam Canonici et Praebendati in Ecclesia Collegiata s. Leonardi non excedere summam scutorum 56, hanc vero summam ob pretia rerum in civitate Francofurti tum civium tum exterorum mercaturae aliorumque negotiorum causa confluentium frequenti numero referta, longe quam in aliis Germaniae partibus cariora, congruae Beneficarii sustentationi haud quaquam sufficere indeque contingere, ut praeter Canonicum Broremdorffer quinque reperiantur Canonici Ecclesiae s. Leonardi, qui alterum quoque Canonicatum in alia Collegiata Ecclesia personalem residentiam dubio procul requirentem una simul possideant.

Praeterea ab eodem Officiali Moguntino refertur, nullum in Ecclesia s. Leonardi a tempore, cujus initii memoria non extat, a Canonicis haberi chorum, exceptis dumtaxat tribus festis continuo sequentibus, videlicet s. Georgii, s. Leonardi Confessoris et Dedicationis Ecclesiae, Missarum autem onera iisdem Canonicis incumbenda in his sistere, quod unusquisque eorum teneatur quintadecima Hebdomada sive per se sive per substitutum Missam quotidianam privatam quacum-

que hora legere, dominicis vero aliisque festis diebus hora decima Sacrum canere, musicis hunc in finem conductis, tria tantum ibidem celebrari anniversaria, quorum occasione Canonicis praesentibus solvitur medius Florenus Rhenanus vix quartam Romani scuti partem attingens, et demum ex attestazione Cleri Moguntini constare, eam esse consuetudinem tam Ecclesiae Collegiatae s. Crucis quam alterius s. Mauritii, ut in iisdem Ecclesiis, in quibus continuus non habetur chorus, sed certis tantum diebus, nulla ad percipiendos praebendales fructus residentia postuletur, sed satis sit diebus illis chorus adesse.

His itaque praehabitis concludit memoratus Officialis Moguntinus Canonicum Broremdorffer in Aula Comitissae Palatinae commorantem bonum religionis et utilitatem Ecclesiae reipsa strenue promovere, cumque universi propemodum illius Subditi pessimis Lutheri atque Calvini erroribus sint irretiti, utile admodum ac ferme necessarium fore, ut apud eandem Comitissam ejusque Aulam resideat Sacerdos aliquis catholicus, cujus opera consilioque d. Comitissa uti possit in causis religionis, ne reliquiae omnes fidei catholicae ibidem penitus extinguantur, adeoque censet, eundem Canonicum ad onus residentiae non esse obstrictum, sed fructus omnes praebendales hoc nomine detentos eidem deberi a die captae possessionis restitui.

Quaestionem juris: an Canonici Collegiatae ex immemorabili consuetudine non residendi, sive ob reddituum tenuitatem ab onere residentiae evadant immunes? late pertractant *Fagnan.* in cap.: „Cum omnes“ n. 21., et seqq. de constitut. *Pignatell.* consult. 114. tom. 9., et luculenter Emus *Petra* in suis doctissimis Commentariis ad Constitut. 7. Innoc. IV. sect. 2. n. 28 et

29. tom 3. Iis itaque inspectis una cum aliis, quae de Indulto non residendi ex causa utilitatis religionis adnotata fuerunt in folio diei 1. Aug. 1739 in Colonien. Indulti, dignabuntur EE. PP. rescribere:

I. *An Canonicus Broremdorffer teneatur residere? Et quatenus negative;*

II. *An fructus canonicales et praebendales sint ei restituendi in casu?*
S. C. C. resp.

ad I.: Affirmative ad formam statutorum;

ad II.: Dilata et videatur particulariter.

Die 11. Martii et 15. Apr. 1741.

Alexander III. Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis, B. Decano et Capitulo Parisiensi salutem et apostolicam benedictionem.

Ea, quae ad incrementum Ecclesiarum et venustatis spectant decorem, juxta Officii nostri debitum studiosius prosequi volumus et iis promptam curam et diligentiam adhibere optamus, quae ad vestrum et Ecclesiae vestrae cognoscimus pertinere profectum. Ex literis autem, quas nobis devotio vestra transmisit, evidenter accepimus, quod, quia quidam vestrum, alienis insistentes negotiis, raro Ecclesiae vestrae sui praesentiam exhibeant et caeteri eandem licentiam absentandi se velint habere, communi consilio illos Canonicorum vestrorum Forinsecos ordinastis, qui per medietatem anni in Ecclesiae vestrae servitio assidui non fuerint, ita tamen, quod circa quatuor marcas argenti de praebenda sua annuatim recipiant, eis exceptis, qui in servitio nostro vel regis Francorum permanserint et hoc sub anathematis interpositione firmastis. Unde nos paci, quieti et utilitati vestrae, sicut diximus, paterna meditatione providere volentes, praescriptam institutionem,

sicut a majori et saniori parte Capituli facta est, ratam et firmam habemus, et ne quorumlibet valeat praesumptione mutari, eam auctoritate apostol. confirmamus et praesentis scripti patrocinio communitus, statuantes, ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis infringere vel ei aliquatenus contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beati Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Die 22. Decbr. 1170.

(Bull. r. t. II. p. 746. Ed. Aug. Taur. 1859.)

II. Obligatio non est.

Caputaquen.

(Conc. Tr. c. 12. sess. 24. De ref.)

Jam pridem sacerdos Andreas Caputo collationem a SSmo D. N. obtinuit praebendae canonicales in Cathedrali Caputaquen. cum solita clausula: „*volumus autem, quod infra duos menses ad personalem residentiam apud dictam Ecclesiam omnino tenearis, alioquin dictus Canonicatus et praebenda vacent eo ipso etc.*“ Quoniam vero civitas Caputaquensis diruta penitus jacet nec Episcopus neque Canonici in Cathedrali residentiam faciunt ac praebenda ejusmodi fructum dumtaxat reddit duorum aut trium ducatorum monetae regni nullasque assignatas habet distributiones, hinc praelibatus Andreas Caputo supplex coram EE. PP. agit, quo decernatur, legitimam excusationem non residendi habere. Super hisce requisitis Episcopus Caputaquensis exposita comprobata ac potissimum civitatis omnimodum excidium, in qua tantum superesse, inquit, Cathedralis Ecclesiam, cui unicus dumtaxat Capellanus servitium praestat. Caeterum incolis

ac aedificiis, ut perhibetur, civitatis hujusmodi vestigium penitus destituitur, ex quo Dignitates ac Canonici in propriis laribus sparsim in dioecesi commorantur. Immunitatem hanc a residentia constabilitam videri idem relator subtexit tum in constitutionibus synodalibus cum ex antiquis S. hujusce Congreg. decretis, contradicente promotore fiscali curiae episcopalis, ut perhibetur, editis, quae in summario dabuntur. Auditis itaque ministris Datariae apostol., qui oratorem ad EE. PP. confestum, quo utatur jure suo et S. Congr. arbitrio, remiserunt, EE. VV. sapienter dijudicabant:

An Orator residere teneatur in casu?

S. C. C. resp.: Negative et quoad certos dies officaturae servetur solitum.

Die 23. Junii 1714.

c) Canonici honorarii.

Vd.: *Resid. Canon. Monachor.*

d) Canonici infirmi.

Hyeracen.

P. N. Decanus Ecclesiae Cathedralis Hyeracensis, precibus oblatis huic Sac. Congregationi, postulavit, ut ratione senectutis et malae valetudinis dispensaretur a servitio chori et Ecclesiae atque ab onere residentiae. Auditis de more Episcopus retulit, Oratorem in oppido Roccellae illius dioecesis natum die 20. Martii 1687, prae humorem, quibus abundat, acrimonia, juxta trium physicorum sibi exhibitum testimonium, in gravem incidisse hypochondriacam affectionem, et non infrequenti vomitu ac tussicula necnon mordaci herpete instar leprae in capite, brachiis et cruribus correptum, vigiliis quoque, vertigine et artuum debilitatione gravari, eidemque

infensum esse rigidum ac salibus refertum aërem Hyeraci. Et Capitulum ab Episcopo interpellatum testatur, petita dispensationis exemplum deesse in Ecclesia Hyeracensi, sed illi nihilominus assentitur, ratione servitii praestiti ab Oratore ejusque adversae valetudinis, dummodo, servatis Ecclesiae consuetudinibus, illi non tribuantur in absentia distributiones aliaque emolumenta solis praesentibus debita.

Sed Episcopus neque eorumdem physicorum judicio, uti pluribus exceptionibus obnoxio, neque Capituli sententiae adhaerens denegandum censuit absolutae vacationis et perpetuae absentiae indultum, ratione aut servitii aut adversae valetudinis. Nam ratione servitii, nisi illud sit quadragenarium et continuum ac laudabile, minime concedi solet absoluta dispensatio a residentia, sive indultum jubilationis ejusdem servitii contemplatione indulgeri consuetum, juxta regulam servatam a S. Congreg., praesertim in *Constantien.* jubilationis 4. Maii 1737 lib. 87. decr. pag. 146., eamque non mereri Oratorem putabat, cum in ipsis precibus S. Congregationi oblatis narraverit, Ecclesiae deservisse solis triginta octo annis, qui minime sufficiunt ad adstruendum requisitum quadragenarium servitium, ut innuit rescriptum S. C. in *Stetina* dispensationis in servitio chori 22. Mart. 1760 lib. 110. decr. pag. 120.

Neque insuper assiduum et laudabile videbatur Episcopo servitium ab Oratore praestitum. Cum Hyeracensis Cathedralis Canonici, intermisso quotidiano servitio de jure praestando, ad notata per *Fagnan. in cap.:* „*ad audientiam*“ n. 14. de *Cler. non resid.*, coeperint Divinis Officiis interesse dudum per quartariam, mox per sextariam seu qualibet sexta hebdomada per turnum: contra S. C. Tridentini censuram in cap. 12. sess. 24. de Re-

format, qua tolerantur statuta vel consuetudines vacationum pro solis tribus mensibus continuis aut interpolatis, et contra Oraculum hujus S. Congregationis, cujus Amplissimi Patres a Hyeracensi Episcopo consulti, occasione visitationis Sacrorum Liminum die 23. Mart. 1753 responderunt: „Apostolicum illud Beneplacitum seu Rescriptum, quod jactant, inserviendi per sex classes in orbem, nullibi datum fuit invenire in Sacri hujus Magistratus Regestris; quamobrem nil aliud rescribere possumus, nisi servandum omnino Conc. Trident. praescriptum, ut videlicet nulla aut privilegii aut tenuitatis reddituum excusatione admissa Ecclesiae quotidie deserviant“, ut in lib. 28. lit.: Visit. S. Lim. pag. 166. ter.

Et hanc morem inserviendi per sextariam, subungebat, nec etiam accurate servari. Quia ex viginti quatuor Canonicis et Dignitatibus, quibus constat Capitulum Hyeracense, aliquando unus aliquando duo diebus feriatis choro intersunt cum Mansionariis. Atque Orator, ut pergit Episcopus, caeteris haud diligentior vix per viginti dies Ecclesiae inservivit quatuor postremis annis, nec Episcopi hortationibus induci potuit anno 1760, ut Missae conventuali aut horis canonicis semel interesset eo etiam tempore, quo Sacrum quotidie peragebat in Cathedrali, et reliqua civitatis loca etiam remotiora et aspera fere semper circumibat; immo non servientium modo, sed residentiam ipsam frequenter deseruit, collatisque temporibus, diutius moratus est in oppido Rocellae patria sua quam in civitate Hyeraci.

Ratione autem adversae valetudinis Episcopus judicabat, eo minus dignum videri Oratorem perpetuo indulto, nedum ex provido motivo, ne reliqui Canonici exteri et aliquo morbo affecti hujusmodi exemplo ex-

citarentur ad petendum simile indultum hactenus inusitatum in Ecclesia Hyeracensi, sed etiam ex defectu intrinsecae causae, tum quia plene deferendum non est medicorum testimonio de insalubritate aëris Hyeraci ob salinas particulas, cum inclementior ea de causa reputandus esset aër oppidi Rocellae prope mare siti, in quo statuit Orator suam moram perpetuo trahere, tum insuper, quia recensitae Oratoris affectiones adeo non recrudescunt toto anni tempore, ut impediant Oratoris egressum e domo et assistentiam divinis Officiis. Ut enim Infirmus excusetur a servitio chori, morbis requiritur adeo gravis, ut sine valetudinis pernicie et sine periculo majoris mali Beneficiatus nequeat Divinis interesse, ut notant *Anaclet.* in jus canon. iib. 3. tit. 4. §. 59. n. 193., et *Barbosa* de Canon. cap. 24. n. 28. et seq.; et quatenus morbus hujus naturae proponeretur, nedum esset rigorose probandus, ad quem effectum S. Congr. mandavit confici processum formalem coram Ordinario in *Osnabrugem.* 20. Sept. 1727 lib. 77. decr. pag. 577., sed etiam illo probato, indultum non aliter concedendum foret, nisi cum solita clausula: „durante infirmitate et onerata conscientia Oratoris“, ut rescripsit S. C. in *Aquilana* indulti 26. Junii 1745 lib. 95. decr. pag. 267., et in *Cremonen.* indulti 12. Jul. 1760 lib. 110. decr. p. 310.

Cum autem concluderet Episcopus his verbis: „Sum voti, indulgendum abesse a civitate tribus vel quatuor mensibus hyemalibus, arbitrio Episcopi, ex causa infirmitatis coram eodem approbandae, cum facultate prorogandi singulis annis, si necessitatis ratio postulaverit“, ideo in Congregatione habita die 29. Augusti proxime praeteriti super precibus Oratoris rescriptum fuit: „Quoad jubilationem: Lectum; quo véro ad indultum abessendi

ex causa infirmitatis: Pro gratia ad quatuor menses hyemales tantum, arbitrio Episcopi et juxta ejus votum.“

Sed non acquiescens edito rescripto Decanus N. postulavit, ut causa iterum discutienda proponeretur sub formali dubio. Et nunc supplicat pro concessione indulti absolutae dispensationis a residentia. Ad hunc autem effectum autumat non requiri quadragenarium, assiduum et laudabile servitium, quemadmodum necessarium est pro indulto jubilationis ex aequitate moribus recepta concedendo, quia Infirmi a servitio Ecclesiae eximuntur non ex liberali gratia, sed ex providentia Sac. Canonum, ut in *cap. 1. de Cleric. aegrot.*, et in *cap. 1. de Cler. non resid. in 6.*, et tradunt *Fagnan.* in *cap.*: licet n. 136 et 146. de Praebend., *Garz. de Benef. part. 3. cap. 2. n. 363.*, et *san. mem. Benedictus XIV.* in *instit. ecclesiast. 107. §. 8. n. 46.*, et concordant rescripta hujus S. C. in *Eugubina* servitii chori 23. Aug. 1738 lib. 88. decr. p. 365., in *Aquilana* Indulti 26. Junii 1745 lib. 95. decr. pag. 267., in *Tranen.* distributionum 12. Sept. 1750 lib. 100. decr. pag. 362., et in *Caputaquen.* participationis 20. Nov. 1751 lib. 101. decr. pag. 513.

Et licet praecedens continuum et laudabile servitium requiri videatur etiam in Infirmo ad effectum lucrandi distributiones in statu infirmitatis, ut innuunt *Antonell.* de jur. et oneribus Cleric. lib. 2. part. 6. cap. ultim. sub num. 127., et *san. mem. Bened. XIV.* in d. *instit. 107. num. 46.*, attamen contendit Orator vel de illo inquirendum non esse, cum ipse in actis capitularibus declaraverit: „Che in caso sarà dispensato, ne intende, ne pre-tende, ne vuole godere delle distribuzioni“, vel satis verificatum videri eo ipso, quod juxta plurium testium

assertionem unus fuit ex diligentioribus Canonicis chorum frequentantibus, more Ecclesiae consueto, usque dum valetudine praestitit, nec minus laudabile aut continuum dicendum esse opinatur servitium aliquando intermissum ex justa causa infirmitatis, ut tradit *Fagnan.* in d. *cap.*: licet n. 137. de Praebend.

Suam autem infirmitatem haud negari posse defendit, tum ratione grandaevae aetatis, quam agit, septuaginta quinque annorum, quae sola sufficeret, ut impotens diceretur ulterioris servitii, ad *textum in cap. 1. §.: Verum de Cler. aegrot. in 6.*, ubi tamen agitur de Coadjutore, non de indulto absentiae senibus concedendo, tum in insuper ratione corporalium affectionum, quibus vexatur et quae mitioris aëris exigunt afflatum, juxta medicorum attestaciones Episcopo et huic S. C. exhibitas et in hac materia attendendas, *Passerin.* in *cap.*: unic. de Cler. non resid. regul. 5. num. 91. Et deserit, petita dispensationi nihil officere qualitatem morbi haud impediens egressum e domo, quia valetudinariis egressus hujusmodi permittitur in malarum affectionum levamen, ut notat *Garzia* de Benef. part. 3. cap. 2. num. 363., et quia in hoc casu urget necessitas mutandi aërem infensum Hyeraci, quod sufficit, ut aeger dispenseretur a residentia, ut firmat *Moneta* de distrib. quotid. part. 2. quaest. 6. num. 10., minusque obesse arbitratur, quod oppidum Rocellae, in quo suam moram perpetuo trahere decrevit, situm sit prope mare, quia in eo ortum duxit et patrius aër cuique utilis est, ad tradita per *Zacch.* quaest.: *Medico-Legat. lib. 5. tit. 4. quaest. 5. num. 11. et seq.*, immo utilior fuit etiam duobus Episcopis antecessoribus, qui in oppido Rocellae valetudinem Hyeraci amissam recuperarunt, ut referunt testes.

Dignabuntur itaque EE. VV. discernere:

An sit standum vel potius recedendum a decisis, ita ut sit annuendum absolutae dispensationi Decani N. a residentia in casu?

S. C. resp.: Quoad Jubilationem in decisis et amplius; quo vero ad indultum praevio recessu a decisis, pro dispensatione ad annum, durante infirmitate et onerata conscientia Oratoris.

Die 13. et 27. Mart. 1762.

e) Canonici Magistri Theolog.
(Conc. Tr. S. 6. c. 2.; S. 23. c. 1.)

Vd.: *Residentia Parochi et Magistri etc.*; *Resid. Archidiac.* (Vici Aquen).

Canonicum Ecclesiae Cathedr., cui munus incumbit legendi s. scripturam, teneri residere in Ecclesia Cathedr. et adimplere per se ipsum illa onera neque dispensari ab Officio residendi privilegio, tributo quibusdam universitatibus e. g. Lovaniensi a Martino V. et Clemente X. S. C. C. die 11. Septbr. 1734 *Leodien.*

Non fruitur indulto, quo fruuntur caeteri Canonici in Episcopi vel Ecclesiae servitio absentes.

S. C. C. die 16. Dec. 1634 *Pacen.*; 12. Dec. 1676 *Anagnin.*; 12. Septbr. 1702 *Vicen.*

Canonicus theolog. et Provicarius Ecclesiae cujusdam Cathedr., quum nomen dedisset Congregationi Oblatorum et in eo esset, ut tria vota simplicia profiteretur (in quibus tamen dispensationis a SS. Pontifice et Superiore gen. petendae locus est) supplicavit, ut illa munera sua retinere posset per substitutum. Licet vero in Ecclesia sit ministrorum inopia, tamen S. C. resp.: non esse dandam retentionem et quia per votorum illorum omissionem secundum Benedict. XIV. Constit. „Ex quo dilectus“ beneficia

non vacent ipso jure, post illam Episcopum procedere debere prout de jure (id est cogendum esse professum, ut beneficium residentiale libere dimittat).

Die 14. Dec. 1833 *Pinerol.*

Giennen.

(Conc. Tr. cap. 1. sess. 5. De Ref.)

Jam inde ab anno 1538 auctoritate intercedente san. mem. Pauli III. erecta comperitur academia sive universitas Beacen. sub auspiciis ven. magistri Joannis de Avila, quae licet pinguis fuisset instructa redditibus, nihilominus temporum injuria imminutis proventibus, nunc a pristino decore non parum concidit, adeo ut vix reperiantur magistri, qui cum exiguo stipendio cathedras moderari velint. Restituendi itaque causa ejusmodi universitatem nuper expositae fuerunt supplices preces SSmo D. N. ad hanc S. C. remissae, quatenus benigne indulgere dignaretur, quod rector, lectores omnes, doctores, magistri, licentiati, bacchalaurei et studentes seu scholares in memorata academia pro tempore docentes et respective addiscentes, licite percipere possint omnes fructus suorum beneficiorum ecclesiasticorum cum cura et sine cura, in quibuslibet Ecclesiis, etiamsi canonicatus et praebendae, dignitates, personatus et Officia in Cathedralibus, etiam metropolitanis post pontificales majores aut in Collegiatis Ecclesiis principales seu conventuales fuerint, perinde ac si personaliter residerent et re servirent praefatis Ecclesiis, ad quam residentiam et servitium per Ordinarios et Capitula cogi nequeant; idque privilegium expetitur ad instar alterius in summario exhibendi, ab Eugenio IV. concessi academiae Salamanticensi, cui isthaec universitas aggregata asseritur.

Remissis precibus pro consueta informatione Ordinario, sede episcopali vacante, idem ipse suas pariter adjicit pro gratia impetranda, summis laudibus universitatem hanc extollens, tam circa juventutis educationem in bonis artibus, quam circa morum correctionem, quo plures viri sanctitate et scientia conspicui prodierunt, sicque celebris ipsa academia in Lusitaniae regno praedicetur. Notulam stipendiorum, quae lectoribus tribuntur, auctoritate secretarii confectam relator ipse transmittit, ut de eorum tenuitate legitime constet, quod pariter documentum in summario exponitur. Superest igitur, quod EE. VV. solita sapientia et prudentia ex latius adducendis definire dignentur:

An et quomodo hujusmodi precibus sit indulgendum?

S. C. C. resp.: Negative et amplius.

Die 17. Nov. et 1. Dec. 1714.

Leodien.

Martinus V. P. M. rectori, magistris, doctoribus et discipulis celeberrimae universitatis Lovaniensis indulsit: „ut eorum singuli (statuto, consuetudine aut quovis eorum juramento haud obstante) fructus, redditus et proventus omnium et singulorum beneficiorum suorum ecclesiasticorum saecularium et regularium cum cura et sine cura, quae etiam in quibuscumque Ecclesiis sive locis ad praesens obtinent ac illos pro tempore obtinere contigerit, etiamsi canonicatus et praebendae, dignitates, personatus, administrationes vel officia in Cathedralibus etiam Metropolitanis post Pontificalem majores aut in Collegiatis Ecclesiis hujusmodi principales fuerint, et qui ad ea consueverint per electionem assumi, quaecumque et qualiacumque extiterint, cum ea integritate, quotidianis distributionibus dumtaxat exceptis, libere per-

cipere valeant, cum qua illos perciperent, si in Ecclesiis sive locis ipsi personaliter residerent et ad residendum interim in eisdem minime teneantur, nec ad id a quoquam inviti valeant coarctari“; sunt ipsa verba Diplomatis, quod Eugenius IV. subinde confirmavit.

Postmodum Paulus V., praedicto indulto dumtaxat revocato quoad Beneficiatos curam animarum adnexam habentes, in majorem illius firmitatem sancivit: „eidem derogari nullatenus posse nec derogatum censi, nisi earumdem praesentium tenor de verbo ad verbum, nihil penitus omissis, insertus ac urgens et sufficiens causa expressa et per trinas distinctas literas illarum tenorem continentes tribus distinctis vicibus cum trium mensium intervallo praedictae universitati legitime intimatae et insinuatae ac derogationes ipsae motu, scientia similibus factae fuerint, appareatque, Romanum Pontificem illis expresse derogare voluisse, et aliter pro tempore factas derogationes nullius roboris vel momenti fore, et nemini suffragari ac pro infectis et non concessis haberi debere.“

Et demum Clemens X. idem Indultum Lovaniensi academiae tributum et subinde a Clemente IX. suspensum in pristinum restituit, adjecta inter caeteras hac lege: „Praelerea abusus illum circa Beneficiorum praesertim incompatibilium pluralitatem antehac introductum omnino rescindere cupientes statuimus, ut nemo possit deinceps simul successive vigore privilegiorum sive facultate artium sive universitati hujusmodi concessorum plures canonicatus et praebendas aut plura beneficia curata vel canonicatum vel praebendam ac aliud beneficium curatum pacifice obtinere, si tamen aliquis post parochialem Ecclesiam vel canonicatum et praebendam tenuis redditus

annui vigore privilegiorum hujusmodi pacifice obtentam vel obtentos ob eminentiam doctrinae assumptus fuerit ad legendum aut regendum in aliquo paedagogio dictae universitatis aut ad aliam publicam academicam functionem, ex speciali gratia indulgemus, ut possit talis vigore privilegiorum praefatorum canonicatum et praebendam vel beneficium curatum obtinere, priori beneficio prius libere in manibus nostris seu Romani Pontificis dimisso, nisi dispensationem super illius retentione ab hac s. Sede obtinuerit."

Joannes Franciscus Stouppii magister in theologia necnon rector Lovaniensis academiae sub annum 1717 in Cathedrali Leodiensi quemdam assecutus est canonicatum, in cujus erectione praeter munus legendi sacram scripturam, quod ei addixit Sixtus V., cautum fuit: „quod nemo deinceps ad aliquam ex dictis sex praebendis presbyterialibus reciperetur nisi Sacerdos, aut qui intra annum ad Sacerdotium possit et juret promoveri, itemque juret continuam residentiam apud Ecclesiam facere et Officiis Sacerdotis ad altare majus personaliter in suis septimanis fungi, non obstante quavis quantumvis clausulata dispensatione in contrarium"; subindeque, capta ejusdem canonicatus possessione solemne emisit juramentum, se apud ejus Ecclesiam assiduam praestitutum residentiam seque Praeposituram, Decanatum aut Archidiaconatum dignitates haud obtenturum, ne a servitio Ecclesiae, quod sibi incumbit, impediretur, juxta eam juramenti formulam, quam statuta Ecclesiae praescribunt.

Verum quia idem Canonicus Stouppii, praestita vix prima residentia, anno 1721 Lovanium rediit ibique provivus primum fuit de canonicatu theologi in Collegiata Ecclesia s. Petri, deinde vero in eadem Ecclesia, prae-

via apostolica dispensatione, sub annum 1731 Decanatum, cui animarum cura adnexa est, obtinuit, nullam amplius in Ecclesia Leodiensi residentiam peregit, itidemque nonnulli alii Canonici residentiam in dicta Leodiensi Cathedrali prorsus negligebant; propterea Capitulum, quod pluries tam dictum Canonicum quam caeteros ad residentiam frustra evocaverat, ut tandem consuleret detrimento divini cultus atque servitii illius Ecclesiae, curavit impetrare a SSmo D. N. amplissimam constitutionem, in qua, redintegritatis Ecclesiae statutis pluribusque confirmatis decretis, sancitum fuit, ut Canonici obtinentes aliquem ex illis sex canonicatibus, quos vocant presbyterales, deberent spatio sex mensium ad personalem residentiam in dicta Ecclesia sese conferre ibique sub poena privationis tituli ipso jure incurrenda munia eorum praebendis adnexa explere.

Saluberrimae huic Constitutioni haud acquiescens Canonicus Stouppii supplicem Sanctissimo porrexerat libellum, quo postulavit, ut Sanctitas Sua supremo ejus oraculo definiret, se non comprehendendi sub Constitutione a Capitulo Leodiensi nuperrime obtenta proindeque se non posse ad residentiam in Leodiensi Ecclesia adstringi. At remisso subinde praedicto supplici libello ad Sacram hanc Congregationem superiori anno excitatus fuit Officialis Leodiensis, qui in literis nuper datis confirmans hactenus exposita ita concludit: „Ut autem animi mei sensum (sicut mihi injungitur) aperiam, non possum non admittere, quin cultui divino et Ecclesiae decori plurimum expediat, si Canonici presbyterales juxta antiquam possessionem et observantiam Officia presbyteralia sibi incumbant per se ipsos exerceant et in Ecclesia resideant non obstantibus quibuscunque."

Porro vis defensionis propositae a Canonico Stouppii posita est potissimum in dispositione tum sacrorum Canonum, ex quibus cautum habetur, magistros et scholares sacrae theologiae aut juris pontificii in publicis studiorum universitatibus exemptos esse ab onere residendi in eorum Ecclesiis atque potiri indulto percipiendi etiam in absentia quoscunque beneficiorum suorum proventus, cap.: *licet de praeben.*, cap.: *tuae de Cleric. non resident.*, cap.: *super specula.*, et cap. ult.: *de Magistr.*, tum S. C. Trident. sess. 5. de Reform. cap. 1. ibi: „Docentes vero ipsam sacram scripturam, dum publice in scholis docuerint, et scholares, qui in ipsis scholis student, privilegiis omnibus de perceptione fructuum, praebendarum et beneficiorum suorum in absentia a jure communi concessa plene gaudeant", uti consentaneae ad haec rescriptum fuit ab hac S. Congr. in Palentino Indulti 6. Dec. 1732 lib. 82. decr. pag. 580.

Nititur praeterea idem Canonicus amplissimis privilegiis supra enunciatis, quae Summi Pontifices Martinus V., Eugenius IV. et Paulus V. tribuerunt universitati Lovaniensi iisque derogatum non fuisse per Constitutionem a SSmo D. N. nuperrime editam, potissime praetendit, tum quia de hujusmodi privilegiis tametsi clausis in corpore juris communis et ex causa onerosa publicam utilitatem concernente concessis, in dicta Constitutione nulla expressa mentio habita fuit, tum quia in eadem Clementina Constitutione servata non fuit forma, quam pro legitima et valida eorumdem privilegiorum derogatione praescripsit Summus Pontifex Paulus V.

Postremo ad effugiendam vim cujuscumque legis oppositum afferendae adducit apostolicam dispensationem, quam nuper impetravit, retinendi nimirum canonicatum theologalem in Cathedrali

Ecclesia Leodiensi, et alium similem canonicatum una cum decanatu in Collegiata Ecclesia s. Petri civitatis Lovanii; hinc enim arbitratur confici argumentum, quod Summus Pontifex, dispensando super beneficiorum incompatibilitate, dispensaverit etiam super onere residendi, itaut munitus ejusmodi dispensatione oneri suo satisfaciat, si in beneficio majori et digniori personaliter resideat et alteri per substitutum inserviat, ad textum in cap.: *Extirpandae* §.: Qui vero de Praebend., ibique *Abb.* num. 5., *Joannes Andr.* num. 6., *Joann. de Imola* num. 13., *Ancaran.* num. 7., *Hostien.* num. 15., *Innoc.* in cap.: *Cum jamdudum* n. 2. eod. tit., *Reiffenstuel* in jus Canon. lib. 1. tit. 2. §. 18. n. 451. et lib. 3. tit. 5. §. 9. num. 256., *Pirhing.* eod. loc. n. 198., *Schmalzgrueber* n. 149., *Garz.* de Benef. part. 12. cap. 2. n. 45. et n. 186., *Barbos.* ad Concil. sess. 5. cap. 1. n. 8., et ita rescripsit S. haec Congregatio in *Aquilana* 5. Aprilis et 19. Julii 1732 lib. 82. decr. pag. 333.

At e converso Capitulum praeter statuta Ecclesiae et novissimam regnantis Summi Pontificis Constitutionem opponit memoratam Bullam Clementis X. abusum circa Beneficiorum praesertim incompatibilium pluralitatem improbantem, ex qua contendit, quod Magistri itidemque scholares universitatis Lovaniensis plura obtinentes Beneficia incompatibilia nullo potiantur privilegio, quod eidem universitati fuerit tributum, subindeque vires in id potissimum intendit, ut ostendat Pontificiam dispensationem, quam profert Canonicus Stouppii, irritam atque invalidam utpote ex multiplici capite obreptitiae et subreptitiae impetratae; et primo ex eo, quod idem Canonicus in supplici libello non expressit qualitatem Ecclesiae, ubi canonicatum seu praebendam theologalem obtinet; secundo, quia non exposuit, se ex